# EPISTOLA

# PASTORALIS

AD CLERUM ET POPULUM

CIVITATIS ET DIOECESEOS

UTINENSIS





ROMAE
EX TIPOGRAPHIA BONARUM ARTIUM
MDCCCLIII

# JOSEPHUS ALOYSIUS TREVISANATO

**DEI ET APOSTOLICAE SEDIS GRATIA**

## S. METROPOLITANAE ECCLESIAE UTINENSIS

## ARCHIEPISCOPUS
## ABBAS ROSACENSIS

VENERABILIBUS FRATRIBUS ET DILECTISSIMIS FILIIS
CLERO ET POPULO
CIVITATIS ATQUE DIOECESEOS

*Gratia vobis et pax a Deo Patre nostro et Domino Jesu Christo* (1).

Quod ego quam maxime reformidabam, quod vos, Venerabiles Fratres Filiique in Domino charissimi, summopere exoptabatis, in hoc, ut ita dicam, orbis universi theatro, in hac totius christiani nominis sede, quam ipse Apostolorum Princeps fundavit, *ad quam propter potiorem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est, eos qui sunt undique fideles* (2), per manus Eminentissimi ac Reverendissimi Domini Fabii S. R. E. Cardinalis Asquini S. Congregationis Indulgentiarum et sacrarum Reliquiarum Praefecti, adsistentibus III.L. et RR. DD. F. Antonio Ligi Bussi Archiepiscopo Iconiensi et in urbe Vicesgerenti et Cajetano Bedini Archiepiscopo, Nuntio Apostolico Brasiliensi hodierna die absolutum perfectumque est. Siquidem ad aras provolutus inter consecrantis Pontificis preces, inter adstantis populi supplicationes, inter singultus atque suspiria, quae ex imo pectore promebam, Utinensis Ecclesiae Archiepiscopus renunciatus, solemni ritu consecrationis munus suscepi. Ex hac itaque

(1) Rom. c. I. v. 7.
(2) S. Iren. adv. haer. lib. III. c. 3.

die me totum peculiari prorsus modo Deo vobisque devovi; vester omnino sum; paterno vos amore in osculo Domini complector; animum mentemque ad vos converto, quia ego vobis sum in patrem, et vos mihi estis in filios. Adhuc mihi in aure sonant verba, quae dum sacro ungerer oleo, sunt mihi recitata: ad hoc enim sacrosancta ejusmodi unctio peracta est, ut per infusionem Spiritus Sancti *abundet in me constantia fidei, puritas dilectionis, sinceritas pacis* (1); *ut sint speciosi pedes mei ad evangelizandum pacem, ad evangelizandum bona; ut sit sermo meus et praedicatio mea non in persuasibilibus humanae sapientiae verbis, sed in ostensione spiritus et virtutis; ut mihi Dominus det claves regni coelorum, atque utar ea potestate, quam Deus ipse mihi tribuit, in aedificationem, non in destructionem; ut quodcumque ligaverim super terram, sit solutum et in coelis; ut quorum retinuerim peccata, retenta sint, et quorum remiserim, sint remissa; ut sim fidelis servus et prudens, quem constituit Dominus super familiam suam; ut sim sollicitudine impiger, spiritu fervens; ut odio superbiam prosequar; ut humilitatem ac veritatem diligam, neque eam unquam deseram aut laudibus, aut timore superatus; ne ponam lucem tenebras, nec tenebras lucem; ne dicam malum bonum, nec bonum malum; ut denique sapientibus et insipientibus debitor sim, et fructum de omnium profectu in Domino consequi valeam* (2).

Haec omnia recogitanti mihi ex una parte timorem incutiunt, ex altera animum viresque addunt ad capessendum hoc *onus angelicis humeris formidandum* (3). Et re quidem vera, si me totum circumspicio, si ad infirmitatem meam oculos converto, si praeteritae vitae meae peccata mente revolvo, si quam parvos in vinea Christi adlaborans collegerim huc usque fructus expendo, ingenti corripior formidine, ne sub tanto pondere corruam oppressus, et miror simul qua ratione effectum sit, ut pientissimus Imperator ac Rex noster Fran-

(1) Pont. Rom. de consecr. Ep.
(2) Ibidem.
(3) Conc. Trid. sess. VI. c. 1. de Ref.

ciscus Iosephus I. me indignum prorsus destinavit, Pontifex vero Maximus, Pius ille IX. qui modo Cathedram Petri inaudita clementia, invicta fortitudine atque illustri patientia condecorat, Idibus Martii Veronensium Episcopum renunciaverit, dein vero antequam sedem illam conscenderem , eodem hortante indulgentissimo Imperatore, V. Kal. Octobris ad Utinensem Archiepiscopatum evexerit. Profecto Deus ille, qui (ut ait Apostolus) *stulta mundi elegit ut confundat sapientes , et infirma mundi ut confundat fortia* (1); Deus ille, qui *de post foetantes accepit* Davidem *pascere Jacob servum suum, et Israel hereditatem suam* (2); me miserum prorsus atque debilem elegit, ut in infirmitate mea manifesta omnibus fieret virtus omnipotentiae suae, Quapropter cum semper illud ob oculos habeam, quod *Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere eeelesiam Dei.* (3), in spem erigor atque certo confido, Deum, qui me ad hoc opus, a quo semper ne dum alienus eram, sed et abhorrebam, elegit; mihi effusissima gratia sua adfuturum perpetuo in auxilio opportuno. Id autem me adsequutum fuisse hodierna consecratione confido, ita ut si infirmitatis meae rationem habeam, dicere debeam com Jeremia : *A, a, a, Domine Deus: ecce nescio loqui, quia puer ego sum* (4); sin autem ad virtutem illam, quae mihi veluti Christi athletae per sacram unctionem data est, oculos convertam, mihi videar exaudire Deum ipsum ita me adloquentem : *Noli dicere : puer sum, quoniam ad omnia quae mittam , ibis, et universa quaecumque mandavero tibi, loqueris .... Ecce constitui te hodie super gentes et super regna, ut evellas et destruas et disperdas et aedifices et plantes* (5). Atque ut omnia uno verbo comprehendam, quidquid laboris , quidquid periculi aderit in episcopali ministerio , Spiritu Sancto adjuvante, laetus suscipiam, dicamque cum Apostolo Paulo : *Omnia possum in eo, qui me confortat* (6).

(1) I. Cor. c. I. v. 27
(2) Ps. LXXVII. v. 70. et 71.
(3) Act. c. XX. v. 28.
(4) Jer. c. I. v. 6.
(5) Ibid. v. 7. et 10.
(6) Philip. c. IV. v. 13.

Filioli mei, haec sunt, quae inter angustias animi interque singultus me recreant, atque bono esse animo jubent: *si enim Deus pro nobis, quis contra nos* ? (1); ac propterea opus, quod in me incepit Christus Jesus, *ipse perficiet, confirmabit solidabitque* (2). Nec enim de privato hic agitur negotio, sed de bono ecclesiae, ecclesiae nempe illius, quam Christus ita *dilexit, ut seipsum traderet pro ea, ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquae in verbo vitae, ut exhiberet ipse sibi ecclesiam non habentem maculam, aut rugam, aut oliquid hujusmodi, sed ut sit sancta et immaculata* (3). Hinc ut consuleret ecclesiae suae immisit in me Dominus Jesus Spiritum suum ita ut, justa adhibita proportione, una cum ipso dicere possim: *Spiritus Domini super me, eo quod unxerit Dominus me: ad annunciandum mansuetis misit me, ut mederer contritis corde, et praedicarem captivis indulgentiam, et clausis apertionem* (4).

Dies me deficeret, si ea omnia, quae in ritu consecrationis meae peracta sunt, vel obiter vellem vobis commemorare, ut venerandi ministerii illius, ad quod assumptus sum hodie, dignitatem atque excellentiam agnoscere valeatis. Deus ille, qui, ut inquit ipsum Pontificale Romanum, *imbecillitatis humanae sustentator est*, baculum pastoralis officii per manum consecrantis Episcopi tradidit mihi, *ut sim in corrigendis vitiis pie severus, judicium sine ira tenens, in fovendis virtutibus auditorum animos demulcens, in tranquillitate severitatis censuram non deserens* (5): deinde anulum in digitum meum immisit, *fidei scilicet signaculum, quatenus sponsam Dei, sanctam videlicet ecclesiam, intemerata fide ornatus, illibate custodiam* (6): tum super cervicem et scapulas librum evangeliorum mihi imposuit, et dein clausum tradidit, ut volumen illud semper in mente atque in corde habeam, ut deliciae meae sint sacrae scriptu-

(1) Rom. c. VIII. v. 31.
(2) I. Petr. c. V. v. 10.
(3) Eph. c. V. v. 25 et seq.
(4) Is. c. LXI: v. 1.
(5) Pont. Rom. de cons. Ep.
(6) Ibidem

rae, ut *populo mihi commisso praedicem* [1], juxta illud Apostoli: *Praedica verbum, insta opportune, importune, argue, obsecra, increpa in omni patientia et doctrina* [2]: denique caput meum mitra ornavit, *galea* nempe *munitionis et salutis*, *quatenus decorata facie, et armato capite, cornibus utriusque testamenti, terribilis appaream adversariis veritatis, et, Deo largiente gratiam, impugnator eorum robustus existam* [3].

Haec omnia vobis exposui, o Filii in Christo charissimi, ut dignoscatis quantus per sanctam istam unctionem effectus sit ille, quem Deus Optimus Maximus super vos constituit, ac proinde illum, qua par est, reverentia atque pietate prosequamini. Dei enim est, eos, qui *non sibi sumunt honorem, sed qui vocantur* ab ipso *tamquam Aaron* [4] roborare, perficere et Sancti Spiritus charismatibus replere, ut sint *in civitatem munitam, et in columnam ferream, et in murum aereum super omnem terram, regibus Juda, principibus ejus et sacerdotibus et populo terrae* [5]; atque consurgant ad debellandos profligandosque hostes Ecclesiae suae, adversus quam *portae inferi non praevalebunt* [6]; utque simul viscera misericordiae induant, et pastorum instar commissas sibi oves diligant, et *quod perierat, requirant; quod abjectum erat, reducant; quod confractum, alligent; quod infirmum, consolident; quod pingue et forte, custodiant, et pascant illas in judicio* [7]. Ast possum ne ego in hanc spem venire, et pro certo habere, me ex horum numero esse, qui tot ac tantis cumulantur a Deo virtutum ornamentis, ut bono ecclesiae animarumque saluti consulere valeant? O Deus, *tu scis insipientiam meam* [8]: *tu intellexisti cogitationes meas de longe*,

(1) Ibidem
(2) II. Tim. c. IV. v. 2.
(3) Pont. Rom. ut supra
(4) Hebr. c. V. v. 4.
(5) Jer. c. I. v. 18
(6) Matth. c. XVI. v. 18.
(7) Ezech. c. XXXIV. v. 16.
(8) Ps. LXVIII.. 6.

*semitam meam et funiculum meum investigasti* [1]; ac propterea licet ego sciam, me imparem humeris meis sarcinam sumpsisse, te quoque hoc ipsum minime latebat, quia *imperfectum meum viderunt oculi tui* [2]; et tamen me ad Episcopale munus promovebas, ut omnibus ostenderes magnitudinem brachii tui, mihique sperare liceret, una cum nomine virtutem quoque Pontificis me ex alto adeptum fuisse. Quamobrem *in verbo tuo laxabo rete* [3], quia *tu, Domine, susceptor meus es, gloria mea, et exaltans caput meum* [4].

Quae cum ita sint, non mea, sed Dei virtute confisus, omnia vobis, dilectissimi Filii, promittere audeo; et, Spiritu Sancto, qui in me operatur, adjuvante, omnia pro virili parte perficiam. Nec me quisquam veluti temerarium incuset, si, Domino opem ferente, me exhibiturum polliceor una cum Apostolo Paulo *sicut Dei ministrum, in multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustiis;* et (si oportuerit) etiam *in plagis, in carceribus, in seditionibus, in laboribus, in vigiliis, in jejuniis, in castitate, in scientia, in longanimitate, in suavitate, in Spiritu Sancto, in charitate non ficta, in verbo veritatis, in virtute Dei, per arma justitiae a dextris et a sinistris, per gloriam et ignobilitatem, per infamiam et bonam famam* [5]. Scio enim, per sanctam consecrationem ita Episcopum suo adstringi gregi, ut illi vivere debeat, et, si necesse fuerit, mori cum illo juxta divinum effatum: *Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis* [6]. Oh! si cordis mei interiora inspiceretis, Fratres Filiique dulcissimi, sciretis utique quanto vos prosequar amore, et qua benevolentia complectar! *Os nostrum patet ad vos, o Utinenses: cor nostrum dilatatum est.... Eamdem autem habentes remunerationem, tamquam filiis dico, dilatamini et vos* [7].

(1) Ps. CXXXVIII. 3
(2) Ibid. v. 16.
(3) Luc. c. V. v. 5.
(4) Ps. III. v. 4.
(5) II. Cor. c. VI. v. 4. et seqq.
(6) Job. c. X. v. 11.
(7) II. Cor. c. VI. v. 11. et 13.

Quis enim non diligat urbem, quae praeter loci amoenitatem, aedificiorum pulchritudinem, aliaque plurima, quae illam exornant, innumeris avitae pietatis atque Religionis monumentis condecoratur? Quis non veneratione pariter atque singulari prorsus benevolentia prosequatur ecclesiam, quae cum veluti filia a parente originem traxerit ab Aquilejensi, ab ipso Apostolorum Principe, qui ad hanc secundam Romam, uti referunt, charissimum filium suum Marcum misit, ut illic evangelicum lumen diffunderet, fundata dici potest. Quam Hermagoras, qui primus illius exstitit Episcopus, sanguine confirmavit, plurimique alii Patriarchae, Archiepiscopi et Episcopi virtutum suarum splendore illustrarunt? Quis gentem non amet, quae majorum suorum pietatis nunquam oblita, quaecumque ad Religionem pertinent maximo amplectitur cordis affectu, et nihil habet antiquius quam ut Catholicae doctrinae, in qua enutrita est, prorsus inhaereat, et fidei illius, cui credit, per bonorum operum omnimodam manifestationem apertissima cunctis praebeat documenta? Filioli mei, non me latet quanto in pretio ea quae spectant ad Dei cultum habeatis, quanto honore Religionis ministros prosequamini; quanto studio ea omnia, quae ad salutem animarum vestrarum referuntur, complectamini. Hinc non tantum in urbe, sed et in tota Dioecesi ingens exornandorum templorum amor; hinc divini verbi audiendi fames; hinc Religiosarum Congregationum curam habere, ipsas fovere, et non modo ab impiorum conatibus illas tueri, sed et ipsis nomen dare, ita ut ubicumque invenire sit inter religiosos fratres, qui Forumjulium patriam habuerint; hinc frequens ad Sacramenta sanctissima accessus, *ad omnia tela nequissimi ignea exinguenda* (1), atque ad proficiendum in via perfectionis christianae; hinc, ut verbis ntar Apostoli, *quaecumque sunt vera, qaaecumque pudica, quaecumque justa, quaecumque sancta, quaecumque amabilia, quaecumque bonae famae, si qua virtus, si qua laus diseiplinae, haec cogitare* (2). Atque illud quoqueex ingenita animorum vestrorum bonitate

(1) Eph. c. VI. v. 16.
(2) Philip. c. IV. v. 8.

effectum est, ut nuncium designationis meae ingenti gaudio exciperetis, mihique licet absenti et vobis prorsus incognito plurima amoris pignora praeberetis; non utique infirmitati meae rationem habentes, sed in me Pastorem illum, quem Deus ipse vobis constituit, venerantes.

Veniam itaque ad vos, et Cathedram illam conscendam, quam Hermagoras, Hilarius, Valerianus. Chromatius, Niceta, Paulinus atque Bertrandus mira sanctitate condecorarunt, quamque postremis hisce temporibus Georgius, Rasponius, Lodius et omnium novissimus Zacharias Bricito sapientia sua collustrarunt. O Zacharia, qui nuper crudeli funere extinctus, Utinensium amori cito nimis sublatus es, tu qui grandi charitate praeditus, concreditas tibi oves totis visceribus diligebas, respice in me, et Deum exora, ut vestigia tua sancta sequi perpetuo possim. Tu liberabas *pauperem vociferantem, et pupillum, cui non esset adjutor. Benedictio perituri super* te *veniebat, et cor viduae consolatus* es. *Oculus* fuisti *caeco, et pes claudo: pater* eras *pauperum* (1); quia *ab infantia* tua *crevit* tecum *miseratio, et de utero egressa est* tecum (2); ac proinde *erumpet quasi mane lumen tuum.... et anteibit faciem tuam justitia tua, et gloria Domini colligit te* (3). *Molliti erant sermones* tui *super oleum* (4); *favus distillans labia tua, mel et lac sub lingua tua* (5), et memoria tua in benedictione erit.

Interim nihil quam esse vobiscum, o Filii in Christo dilectissimi, volo, et incredibili desiderio invisendi vos teneor, ut grati animi sensa et amoris mei signa vobis patefaciam, et mutuus inter me et vos enascatur amor, quo fiat ut diligamus nos invicem ea charitate, quae *plenitudo est legis* (6), et *vinculum perfectionis* (7). *Desidero enim*

(1) Job. c. XXIX. v. 12. 13. 15. 16.
(2) Job. c. XXXI. v. 18.
(3) Is. c. LVIII. v. 8.
(4) Ps. LIV. 22.
(5) Cantic. c. IV. v. 11.
(6) Rom. c. XIII. v. 10.
(7) Colos. c. XIII.. v. 14.

*videre vos, ut aliquid impertiar vobis gratiae spiritualis ad confirmandos vos; idest simul consolari in vobis, per eam, quae invicem est, fidem vestram atque meam* (1). Quod cum cito perfici nequeat, vos absens alloquor, et ex hac Catholici orbis amplissima Sede ipso consecrationis meae die hanc vobis mitto Epistolam, ut qui sint animi mei sensus, et quanta vos benevolentia complectar, unicuique innotescat.

Vos itaque imprimis alloquor, o spectatissimi atque reverendissimi Cathedralis Ecclesiae Canonici, Utinensis Metropolitanae Basilicae proceres, Pontificiis muneribus ac privilegiis conspicui, illustre civitatis decus, Dioecoeseos Senatus amplissimus, Ecclesiae Sanctae Dei luminaria, consiliarii, adjutores, amici fratresque in Domino dilectissimi. *Novi opera vestra et fidem et charitatem vestram et ministerium et patientiam vestram, et opera vestra novissima plura prioribus* (2). Novi quanta doctrina praediti sitis, et quanto pietatis studio in ceteris quoque fidei et Religionis sensa exsuscitetis. Novi quanta diligentia quantaque verae devotionis efficacia angelicum opus psallendi in terris, coelicolarum more, laudes divinas persolvatis. Quum vero non tantum ad publicas preces effundendas, sed et ad opem ferendam Episcopo Canonici sint destinati, mihi profecto sperare licet, vos pro officii vestri ratione auxilium haud modicum tenuitati meae esse allaturos. Quapropter vestris consiliis vestraque sapientia necesse est, ut mihi infirmo quae in rebus praesertim augustis peragenda sint ostendatis, ne quid detrimenti imperitiae meae causa Utinensis unquam patiatur Ecclesia. Cumque verissimum sit illud S. Gregorii Magni effatum, quod *cum augentur dona, rationes etiam crescunt donorum* (3); nobis profecto, qui veluti in sublimi positi sumus, omnino cavendum est, *ne cum plus ceteris in hoc mundo accepisse aliquid cernimur ab auctore mundi, gravius inde judicemur* (4). Quocirca si primos adepti sumus honores, fas est ut ceteris quoque virtute

(1) Rom. c. I. v. 11. et seq.
(2) Apoc. c. II. v. 19.
(3) S. Greg. M. hom. IX. in ev.
(4) Ibidem.

praeluceamus, ut *in omnibus* nosmetipsos *praebeamus exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in gravitate* (1); praesertim cum in nos soleant homines veluti in civitatem supra montem positam, aut in lucernam super candelabrum ardentem oculos convertere: ac proinde non tantum Laici, sed et Clerici fere universi propriam agendi rationem juxta superiorum suorum exempla informare consuescant. Nobis itaque veluti ducibus, discent et reliqui Ecclesiae ministri, quo amore S. Scripturae volumina interdiu noctuque sint evolvenda, quanto animi conatu disciplinae Theologicae sint excolendae, Patrum opera perenni studio meditanda, et Canonum scientia acquirenda, quo nitore templa Dei sint servanda, quo studio sacrae caeremoniae sint observandae, quanto animi fervore divina sint peragenda mysteria, quo pietatis sensu sacramenta sint administranda, ut et sacerdotes ipsi divinae respondeant vocationi, et per ipsos sanctificentur fideles, atque *is, qui ex adverso est, vereatur, nihil habens malum dicere de nobis* (2). Haec tamen omnia vobis sunt alta mente reposta, et quae veluti commemorans ego dicebam, vos opere impletis. *Itaque, fratres mei charissimi et desideratissimi, gaudium meum et corona mea, sic state in Domino, charissimi* (3). Te vero prae ceteris honoris gratia compello, Venerabilis Senex, optime merite totius Canonicorum Collegii Praeposite, qui ejusdem Collegii suffragiis Capitularis Vicarius Generalis renunciatus ea prudentia atque sapientia, quam alio tempore in eodem munere gerendo mirum in modum ostendisti, Utinensem nunc moderaris Ecclesiam. Macte itaque animo: perfice opus, quod tam bene coepisti.

Neque aliter vos alloquor, o venerabiles illustris atque celeberrimae ecclesiae Collegiatae Forojuliensis Canonici, qui bonum Christi odorem circum diffundentes, ad virtutem pietatemque fidelium corda inflammatis. Vos enim doctrina pariter ac Religionis studio non tantum ea, quae sunt muneris vestri rite persolvitis, sed et ani-

(1) Tit. c. II. v. 7.
(2) Ibid. v. 8.
(3) Philip. c. IV. v. 1.

marum curae tum in excipiendis confessionibus, cum in verbo Dei disseminando plurimam navatis operam , unde et inclito Collegio vestro, quod longa annorum series condecorat, novus accedit honor, et ingens Christi fidelibus emolumentum exoritur. *State* itaque *in fide , viriliter agite et confortamini. Omnia vestra in charitate fiant* (1), *et charitas mea cum omnibus vobis in Christo Jesu* (2).

Nec minori afficior laetitia, dum vos adloquor, venerabiles animarum Pastores, quos mihi socios in Epicopatus laboribus clementissimus Deus concedere dignatus est. Notum quippe non tantum mihi, sed et omnibus est, qua ratione Utinensis Dioeceseos Parochi oves sibi commissas ad pascua ducant salutaria, *providentes*, ut inquit Apostolorum Princeps, *non coacte, sed spontanee secundum Deum; neque turpis lucri gratia*, *sed voluntarie; neque ut dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo* (3). Nemini profecto vestrum , Fratres in Christo charissimi , intentanda est divina illa comminatio, quae habetur apud Ezechielem: *Vae pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos ! nonne greges a pastoribus pascuntur? Lac comedebatis, et lanis operiebamini, et quod crassum erat, occidebatis: gregem autem meum non pascebatis. Quod infirmum fuit, non consolidastis, et quod aegrotum, non sanastis; quod confractum est, non alligastis; et quod abjectum est, non reduxistis; et quod perierat, non quaesistis: sed cum austeritate imperabatis eis, et cum potentia. Et dispersae sunt oves meae, eo quod non esset pastor: et factae sunt in devorationem omnium bestiarum agri, et dispersae sunt* (4). Vos enim ne dum Sacramentorum, sed et divini verbi pabulum ovibus vestris praebetis, ita ut nullibi inter vos exaudiatur lugubris illa lamentatio: *Parvuli petierunt panem, et non erat qui frangeret eis* (5): siquidem *sermo vester et praedicatio vestra non est in persuasibilibus humanae sapientiae verbis,*

(1) I. Cor. c. XVI. v. 13. et seq.
(2) Ibid. v. 24.
(3) I. Petr. c. 5. v. 2. et seq.
(4) Ezech. c. XXXIV. v. 2. et seqq.
(5) Thr. c. IV. v. 4.

*sed in ostensione spiritus et virtutis* (1), neque dominicis festisque diebus tantum, sicut vobis a Tridentino Synodo praescriptum est, sed et continuo quovis tempore evangelium iis annunciatis, quos ut redimeret, tradidit Christus in mortem animam suam. Quod quidem in hac praesertim temporum perversitate faciendum est, cum non desint veteratores ac nebulones quamplurimi, qui *quaecumque ignorant blasphemantes* (2), se tamquam Religionis magistros populis venditant, et *suam sapientiam buccis crepantibus ventilantes* (3), Sacras Scripturas pervertunt, ad suos sensus contorquent, innumerosque puerorum more effutiunt errores.

Quid autem dicam de studio tradendae pueris christianae doctrinae, atque juventutis ad omnem verae pietatis sensum informandae? Scio quam diligentem navetis operam, o venerabiles in Christo Fratres, ut parvulorum mentes divinis mysteriis imbuatis, atque in ipsorum cordibus Religionis amorem exsuscitetis. O mirum Christianae pietatis spectaculum! Conveniunt statis diebus in Ecclesiam denso agmine pueri, ibique Deum adorant, ipsius laudes decantant, atque primis fidei rudimentis edocentur. Pulchrum interea est videre presbyteros, qui illos paterna benevolentia complectuntur, ut *iterum parturiant, donec formetur Christus* in illis (4), atque in iis ipsos erudiunt, quae ad adipiscendam aeternam salutem prorsus efflagitantur. Pulchrum profecto esset ad tantum pietatis officium, vobis hortantibus, non clericos modo, sed laicos quoque genere et nobilitate conspicuos, immo et matronas sanguine et virtute praestantes, convenientes inspicere et delicias suas, instar divini Magistri, in parvulis puro lacte Sanctae Matris Ecclesiae enutriendis collocantes. Pulchrum esset videre, non infantium solum atque adolescentium, sed cujusvis generis hominum multitudine Dei templa repleri, omnesque ex ore vestro pendentes intueri, ut scientiam illam hauriant, quae omnium scientiarum potissima est, quae una necessaria est ad aeternam beatitudinem

(1) I. Cor. c. II. v. 4.
(2) Iud. Ep. v. 10.
(3) S. Aug. Tract. 45. in Ioh.
(4) Gal. c. IV. v. 19.

comparandam, scientiam nempe christianae doctrinae. Quae quidem si praestiteritis, merces vestra copiosa erit in coelis, et ingens societati beneficium adferetis puerorum animos recte informantes. *Quid enim majus* (ajebat S. Joannes Chrysostomus) *quam animis moderari, quam adolescentulorum fingere mores? Omni certe pictore, omni certe statuario, ceterisque hujusmodi omnibus excellentiorem hunc duco, qui juvenum animos fingere non ignoret* (1). Manete itaque, o Ecclesiae simul et societatis bene meriti Pastores, in adeo sancto opere, erudiendae nempe juventutis, perseverantes, memores verborum illorum: *Qui ad justitiam erudiunt multos, fulgebunt quasi stellae in perpetuas aeternitates* (2). Cum vero scelesti hisce praesertim diebus non desint homines, qui toti in eo sunt, ut adolescentium mentes pervertant, ipsorumque mores commaculent, cavete, o dilectissimi, ne in agrum, quem tantopere colitis, veniat inimicus homo, et, vobis aliquando somno indulgentibus, *superseminet zizania* (3). Nos enim constituit Deus speculatores supra domum Israel (4); ac proinde a nobis repetet jacturam animarum illarum, quae incuria nostra perirent. Quumque scriptum sit: *Nisi Dominus custodierit civitatem, frustra vigilat qui custodit eam* (5); enixis precibus orandum est, ut Deus Optimus Maximus omnipotentis gratiae suae virtute conatibus nostris favere dignetur: *neque enim qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed, qui incrementum dat, Deus* (6) ac proinde cum certo sciamus, nihil prorsus nos sine Deo facere posse, postquam in vinea Domini vel admodum laboraverimus, nobis dicendum est: *Servi inutiles sumus: quod debuimus facere, fecimus* (7).

Vos autem sacerdotes universos obsecro cum Apostolo Paulo, *ut digne ambuletis in vocatione, qua vocati estis, cum omni humilitate et mansuetudine, cum patientia supportantes invicem in*

(1) Chrys. hom. LX. in Matth.
(2) Dan. c. XII. v. 3.
(3) Matth. c. XIII. v. 25.
(4) Ezech. c. XXXIII. v. 7.
(5) Ps. CXXVI. v. 1.
(6) I. Cor. c. III. v. 7.
(7) Luc. c. XVII. v. 10.

*charitate, solliciti servare unitatem Spiritus in vinculo pacis* (1). Incidimus enim in mala tempora, in quibus *homines seipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi, parentibus non obedientes, ingrati, scelesti, sine affectione, sine pace, criminatores, incontinentes, immites, sine benignitate, proditores, protervi, tumidi et voluptatum amatores magis quam Dei , habentes speciem quidem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes* (2), inconditis clamoribus, pestiferis scriptis, dolis , machinationibus , atque omnium armorum genere Catholicae Religioni bellum movere, Evangelium Christi in Diaboli evangelium commutare, immo et societatem universam, quae sine Religione consistere non potest, ex imis fundamentis subvertere temerario ausu conantur. Quapropter necesse est, ut conjunctis viribus in hujusmodi campum descendamus, atque divini verbi gladio infensissimos hosce christiani nominis hostes penitus profligemus et conteramus. Quod ut perficere possitis oportet, *ut idipsum dicatis omnes, et non sint in vobis schismata : sitis autem perfecti in eodem sensu, et in eadem sententia* (3); *oportet*, ut diligenter caveatis, *ne quis vos decipiat per philosophiam, et inanem fallaciam secundum traditionem hominum, secundum elementa mundi, et non secundum Christum* (4); oportet, ut *stultas et sine disciplina quaestiones devitetis, scientes, quia generant lites* (5) ; oportet denique ut Romanae Sedis oracula summa religione excipiatis, et Summo Pontifici ita adhaereatis, ut unusquisque vestrum una cum S. Hieronymo illum continuo hisce verbis alloqui possit : *Ego nullum primum , nisi Christum sequens, Beatitudini tuae, idest, Cathedrae Petri , communione consocior. Super illam Petram aedificatam ecclesiam scio. Quicumque extra hanc domum agnum comederit, profanus est. Si quis in arca Nöe non fuerit, peribit, regnante diluvio .... Quicumque tecum non colligit, spargit : hoc est, qui Christi non est ,*

(1) Eph. c. IV. v. 1. et seqq.
(2) II. Tim. c. III. v. 2. et seqq
(3) I. Cor. c. I. v. 10.
(4) Colos. c. II. v. 8.
(5) II. Tim. c. II v. 23.

*antichristi est* (1). Quumque in id potissimum intendant ejusmodi furfuris homines, ut auctoritatis cujusque ne dum humanae, sed et divinae vincula dissolvant, profecto vobis omni studio adlaborandum est, ut sarta tecta ea maneant principia, quibus humani consortii fundamentum innititur, quibusque sublatis, ipsa societas miserandum in modum corruat necesse est. Quo circa vos, qui magistri estis in Israel, vos, qui, jubente Domino, esse debetis *sal terrae, et lux mundi* (2), populos identidem edocete apostolicis illis verbis: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Non est enim potestas nisi a Deo : quae autem sunt, a Deo ordinatae sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit: qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt* (3); vel aliis Principis Apostolorum : *Subjecti estote omni humanae creaturae propter Deum, sive regi , quasi praecellenti, sive ducibus, tamquam ab eo missis ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum; quia sic est voluntas Dei, ut, benefacientes, obmutescere faciatis imprudentium hominum ignorantiam : quasi liberi, et non quasi velamen habentes malitiae libertatem, sed sicut servi Dei* (4). Haec miserrimis hisce temporibus populis crebro sunt inculcanda, ad opiniones illas omni peste pejores , quae animos exagitant mentesque perturbant, tollendas prorsus atque averruncandas. Ast *si sal evanuerit , in quo salietur? ad nihilum valet ultra, nisi ut mittatur foras, et conculcetur ab hominibus* (5). Si nos, per quos condiendi sunt alii, pravorum hominum deliramentis faciles aures praebuerimus, quomodo justam Omnipotentis Dei indignationem effugiemus? Quid autem detestabilius esse potest, quam ut sacerdos, cujus conversatio in coelis esse debet, sese *implicet negotiis saecularibus* (6), deque rebus politicis juxta reprobatas Novatorum sententias per fas et nefas impudenti ore loquatur? Quid scelestius

(1) Hieron. Ep. 57. ad Damas.
(2) Matth. c. V. v. 13. et seq.
(3) Rom. c. XIII. v. 1. et seq.
(4) I. Petr. c. II. v. 13. et seqq.
(5) Matth. c. V. v. 13.
(6) II. Tim. c. II. v. 4.

concipi potest, quam ut minister Christi illius, qui omnibus apertissime inculcavit: *Reddite ergo quae sunt Caesaris Caesari, et quae sunt Dei, Deo* (1), non tantum turbas in populis ciere conetur, sed etiam (horribile dictu!) inter perduellium agmina adscribi patiatur? *Confidimus autem de vobis, dilectissimi, meliora et viciniora saluti, tametsi ita loquimur* (2); immo pro certo habemus, abhorrere vos prorsus ab hujusmodi hominum peste, qui, cum *abominabiles facti sint in studiis suis* (3), ideo auctoritatis cujusque jugum excutiunt, ut brutorum more in vitia quaeque effrenes abripiantur. At nos, qui *Christi bonus odor* esse debemus (4), in quos populi oculos convertunt, ut proprios mores informent, sedulam debemus navare operam, ne commissis ovibus offendicula praebeamus, ne simus *in ruinam, sed in resurrectionem multorum in Israel* (5). Cavete itaque, o vos, de quibus scriptum est: *Sint ergo sancti, quia et ego sanctus sum, Dominus, qui sanctifico eos* (6), ne unquam Deus, sicuti olim sacerdotes Israel, et vos terribilibus hisce verbis alloquatur: *Vos autem recessistis de via, et scandalizastis plurimos in lege: irritum fecistis pactum Levi, dicit Dominus exercituum: propter quod et ego dedi vos contemptibiles et humiles omnibus populis* (7). Memoria tenete hujusmodi S. Gregorii Magni verba: *Nullum puto, fratres charissimi, ab aliis majus praejudicium, quam a sacerdotibus tolerat Deus, quando eos, quos ad aliorum correctionem posuit, dare de se exempla pravitatis cernit; quando ipsi peccamus, qui compescere peccata debuimus* (8). Quamobrem *obsecro vos, fratres, per nomen Domini nostri Jesu Christi* (9), *ut nemini demus ullam offensio-*

(1) Matth. c. XXII. v. 21
(2) Hebr. c. VI. v. 9.
(3) Ps. XIII. v. 1.
(4) II. Cor. c. II. v. 15.
(5) Luc. c. II. v. 34.
(6) Lev. c. XXI. v. 8.
(7) Mal. c. II. v. 8. et seq.
(8) S. Greg. libr. I. hom. 17.
(9) I. Cor. c. I. v. 10.

*nem, ut non vituperetur ministerium nostrum* : *sed in omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros* (1).

Vos etiam lubentissime alloquor, incliti Moderatores ac Professores doctissimi Venerandi hujus Seminarii, qui ecclesiasticae informandae juventuti plurimam navatis operam, de Religione deque societate universa optime meriti. Sunt enim Seminaria, e quibus veluti ex equo trojano fortissimi illi egrediuntur duces, qui bella Domini tempore suo praeliabuntur : quippe in his veluti fidei viridiariis novellae illae plantae progerminant, quae aliquando in Ecclesia Dei laete succrescent : in his flores illi excoluntur, qui Religiosorum Ordinum domus identidem odorum suorum fragrantia replebunt : in his mores finguntur illorum, qui ecclesiasticas res erunt aliquando administraturi: in his informantur illi, quibus animarum cura erit demandanda, quique ceteros edocebunt universos, ut exinde optimi formentur parentes, filii obedientes, Domini clementia illustres, heri fideles, integerrimi magistratus, subditi proprio Principi perpetuo obtemperantes. Quae cum ita sint, vos deprecor per viscera Domini Nostri Iesu Christi, Professores amplissimi, ut omni cura ac sollicitudine tenellas hasce plantas excolatis, ut fructum suum dare valeant tempore suo ad majorem Dei gloriam, ad animarum utilitatem, ad Religionis, immo et societatis honorem maximumque incrementum. Illud autem quam maxime cupio, ut Seminarium quod moderamini, quodque Archidioeceseos nostrae potissimum ornamentum est, ne dum pietate, morum disciplina, sanctisque omnibus institutis, sed et litterarum scientiarumque splendore vel celebratissimo cuicumque possit comparari. Quod ut facilius perfici queat, et ego pro virium mearum tenuitate operam dabo, vel sedulo scholas invisens, vel animos stimulosque studiosae adjiciens juventuti, vel ea suggerens, quae mihi opportuniora ad majorem discipulorum profectum videbuntur, vel etiam, si opus fuerit, veluti unus e vobis ipsos erudiens juvenes, ne quid eorum praetermittere videar, quae ad nostri Seminarii bonum possunt conferre. Nam et ego vitam ferme totam in Seminario transegi, nec quidquam unquam mihi magis cordi

(1) II. Cor. c. VI. v. 3. et seq.

fuit, quam ut adolescentium animos theologicis disciplinis imbuerem, illosque ad sacrarum Scripturarum amorem ignitis verbis inflammarem. Hinc oculorum meorum pupilla erit Seminarium; hinc deliciae meae inter dulcissimos Professores atque alumnos charissimos identidem commorari; hinc nihil mihi jucundius nihilque suavius erit, quam ut ex meo Seminario lectissimos fructus valeam colligere.

Vobis vero, o dilectissimi Clerici, in id toto animi ardore enitendum est, ut moderatorum vestrorum jussa sedulo perficiatis. *Bonum est viro*, (ajebat propheta) *cum portaverit jugum ab adolescentia sua* (1); ac propterea unusquisque vestrum Deum assiduis precibus oret, davidica illa verba identidem repetens: *Bonitatem et disciplinam et scientiam doce me* (2). Bonitatem itaque imprimis a Deo expostulate: quippe haec praecipua dos est, quae in iis efflagitatur, qui, in sortem Domini vocati, Deo illi mancipantur, cui ea tantum, quae bona sunt, placere possunt. Nec interior solum sit hujusmodi bonitas oportet; sed et in exteriores actus erumpat necesse est, ita ut *habitu, gestu, incessu, sermone, aliisque omnibus rebus, nil nisi grave, moderatum ac religione plenum prae vobis feratis* (3). Quod ut assequi valeatis Deum enixe precamini, a quo *omne datum optimum, et omne donum perfectum* (4); et insuper disciplinam diligite: *qui enim* (inquit Spiritus Sanctus) *diligit disciplinam, diligit scientiam: qui autem odit increpationes, insipiens est* (5); et *qui abjicit disciplinam, despicit animam suam: qui autem acquiescit increpationibus, possessor est cordis* (6). Hinc ab iis prorsus abhorrete, qui auctoritati cuicumque bellum moventes, effrenes vitam ducunt, ac sibi ceterisque perniciem comparant sempiternam. Vos autem, qui singulari Dei dono in venerando vestro seminario collocati estis, operam date diligentem, ut omnibus legibus ac discipli-

(1) Thr. c. III. v. 27.
(2) Ps. CXVIII. v. 66.
(3) Conc. Trid. Sess. 22. de Ref. c. 1.
(4) Iacob. c. I. v. 17.
(5) Prov. c. XII. v. 1.
(6) Prov. c. XV. v. 32.

nis, quae inibi vigent rite obtemperetis, atque *obedite praepositis vestris, et subjacete eis: ipsi enim pervigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri* (1). Atque tali modo viam vobis faciliorem sternetis ad scientiam illam acquirendam, quae in iis expostulatur, qui aliquando ministri erunt Christi, *et dispensatores mysteriorum Dei* (2): *labia enim sacerdotis* (ait propheta) *custodient scientiam, et legem requirent ex ore ejus, quia angelus Domini exercituum est* (3). *Tam doctrina quam vita clarere debet ecclesiasticus doctor: nam doctrina sine vita arrogantem reddit; vita sine doctrina inutilem facit* (4). Totis itaque viribus mentem vestram divinarum rerum multiplici cognitione ditate, ne cuipiam vestrum dicatur a Domino: *Quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi* (5). Quumque id in morem habeant infelicissima hac nostra tempestate infensissimi Catholicae Religionis hostes, ut ipsam armis quibuscumque aggrediantur, atque ingenti linguarum orientalium apparatu, monstrosa profanorum scriptorum notitia, scientiarum naturalium, quae hodie tanto sunt in honore, prodigioso, ut ita dicam, abusu, Sacrarum Scripturarum sensa pervertere, et dogmata semper et ubique credita ausu temerario eliminare conentur; vobis omnino adlaborandum est, ut plenam horum omnium cognitionem arripiatis: turpe quippe est, immo turpissimum, Religionis ministrum, cujus est ipsam ab omnibus adversariis tueri, non iisdem quibus hostes utuntur, armis instructum in campum descendere. Quae omnia si praestiteritis, haud dubia vocationis vestrae indicia mihi praebebitis, meque ingenti laetitia afficietis. At si qui inter vos humano aliquo consilio (quod Deus avertat) in Sanctuarium ingredi voluerint, si Ecclesiae officia artem existimaverint, si panes propositionis ad ventrem explendum quaesiverint, si preces, si pietatis exercitia, si quae ad Dei cultum pertinent fastidio habuerint, si desides, si pigri ad

(1) Hebr. c. XIII. v. 17.
(2) I. Cor. c. IV. v. 1.
(3) Mal. c. II. v. 7.
(4) Conc. Aquisgr. can. 2.
(5) Osee c. IV. v. 6.

studia excolenda fuerint; hisce profecto, quos *non elegit Dominus* (1) nunquam manus imponam: ut hujusmodi naturae homines domum Deí repleant non feram, non sinam, non patiar.

Vos etiam appello, o amantissimi adolescentes, qui sive in ipso seminario, sive in patrio lycaeo, sive aliis in scholis sub lectissimorum Professorum disciplina litteris scientiisve perdiscendis operam datis: et vobis gratulor mihique gaudeo, quia notum mihi est quam uberes fructus retulistis, et quantum patriae vestrae, quae vos laeta admiratur, honoris addidistis. Hic verus est amor patriae, ipsam nempe virtutum omnium splendore collustrare, non autem, prout multi stultissime arbitrantur, illam turpissimis machinationibus prodere, aut fallacis libertatis specie vinculis perditissimorum hominum irretire. Cavete, dilectissimi juvenes, ab ejusmodi hominum peste, quibus non adstipulantur nisi illi, quos flagitium, turpis egestas, aut conscius animus exagitat. *Quod si quis etiam* (ut Sallustii utar verbis) *a culpa vacuus in amicitiam ipsorum incidit, quotidiano usu atque illecebris par similisque ceteris efficitur* (2). Adolescentiam autem perditi hi homines familiaritates quam maxime adpetunt: eorum enim animi molles et aetate fluxi, dolis haud difficulter capiuntur. Vos vero, qui ab ipsis incunabulis bonum matris Ecclesiae lac exsuxistis, atque in christianae doctrinae principiis radicati ac firmati fuistis, technas et deliramenta hujusmodi furfuris hominum facili negotio spernetis, nec unquam ab incepto tramite declinabitis, juxta illud Spiritus Sancti effatum: *Adolescens juxta viam suam, etiam cum senuerit non recedet ab ea* (3). Hinc mirum non est, ut supra innuebam, quod plurimi hinc inde reperiantur iuvenes Forojulienses, qui uni, vel alteri Regularium Congregationi nomina dederint. Salvete igitur, filioli mei dilectissimi, et pignus amoris mei paternam benedictionem accipite.

Ad vos nunc sermonem converto, o illustres Francisci filii, qui ea, qua praediti estis, grandi charitate ad animarum salutem procurandam,

(1) I. Reg. c. XVI. v. 9.
(2) Sallust. de Conj. Cat.
(3) Prov. c. XXII. v. 6.

atque ad majorem Dei gloriam promovendam totis viribus neque diurnum, neque nocturnum laborem intermittitis. Non enim me latet quanto studio quantaque sollicitudine Parochis opem feratis, sive verbum Dei disseminantes, sive fidelium confessiones excipientes, sive aegrotis opitulantes, sive iis, qui tribulato sunt corde refrigerium adferentes, sive denique virtutum vestrarum odorem circumquaque diffundentes. Quapropter vos deprecor, ut eodem animi ardore, eadem vigilantia eademque diligentia, qua hactenus usi fuistis, inceptum opus, adjuvante Deo, perficiatis: est enim *messis multa, operarii autem pauci* (1); ac proinde opus est, ut vos, qui ad bella Domini praelianda veluti auxiliares copiae estis, in subsidium Episcoporum veniatis, quin regulari observantiae, atque religiosae disciplinae deesse unquam videamini. Sic itaque vos mundus, a quo jam recessistis, aspiciat, ut vos de hoc mundo ferme non esse arbitretur, *semper mortificationem Jesu in corpore vestro circumferentes, ut et vita Jesu manifestetur in corporibus vestris* (2). Agite ergo, atque mei miserti, infirmitati meae vires adjicite, meque sub pastoralis officii pondere trepidantem erigite.

Neque aliter vos alloquar, o Virgines Deo sacrae, o vos, quae optimam partem elegistis, quarum charitatem aquae multae non potuerunt extinguere, quae estis veluti *hortus conclusus, fons signatus*, et quarum *emissiones* sunt *paradisus malorum punicorum cum pomorum fructibus* (3). Scio enim quanto in divinum Sponsum amore feramini: novi quo charitatis ardore puellis, quae vestrae curae commissae sunt, purissimum christianae Religionis lac exporrigatis, atque in tenellis ipsarum mentibus initium omnis sapientiae, timorem nempe Dei, exsuscitetis. Oh! in castis colloquiis, quibus Sponsum illum, *qui pascitur inter lilia* (4), ingenti animi voluptate adloquimini, mementote Patris vestri, qui tot tantisque curis exagitatus, atque saeculi hujus nequam veluti fluctibus jactatus, summa prudentia summaque indiget fortitudine ad syrtes cavendas, et ad concreditam

(1) Matth. c. IX. v. 37.
(2) II. Cor. c. IV. v. 10.
(3) Cant. c. IV. v. 12. et seq.
(4) Cant. c. VI. v. 2.

sibi navem per mare tot scopulis ac naufragiis infame tranquilla in statione collocandam. Neque pro me tantum, se et pro omnibus, qui inter mundanas hasce tempestates versantur, preces effundite, ut cunctis Deus Optimus Maximus misericordiae suae dona largiatur. Vos vero, o sacrae Virgines, cantate Domino: *gloriose enim magnificatus est* (1), eripiens vos de hujus saeculi pelago, et *versate* (verbis utar S. Ambrosii) *manibus vestris crucem Domini Jesu, et in vestris eam operibus ablevantes, calcate mundi hujus profundum, et pertransite, ut ille.... nullum locum inveniat in vobis, et quicumque voluerit, persequens, comprehendere vos, demergatur* (2).

Vobis vero, qui piis Utinensis Civitatis ac Dioceseos domibus praefecti estis, quibus verbis gratias agam non reperio. *Multa* enim *mihi fiducia est apud vos, multa mihi gloriatio pro vobis: repletus sum consolatione, superabundo gaudio* (3), cum certo sciam, vos nullis prorsus neque curis, neque laboribus, neque expensis parcere, ut aegrotis opem feratis, ut miseris quibuscumque levamen praebeatis, ut orphanis veluti novos parentes vos exhibeatis; immo in deliciis habere, ut cum flentibus lugeatis, cum aerumnosis versemini, ipsorumque necessitatibus consulatis. Profecto Deus ille, qui profitetur in Evangelio: *Quicumque potum dederit uni ex minimis istis calicem aquae frigidae tantum in nomine discipuli, amen, dico vobis, non perdet mercedem suam* (4), omnibus vos implebit bonis: Christo enim fecistis quidquid vel uni ex minimis ejus fecistis. Quod si, teste S. Jacobo, *Religio munda* et *immaculata apud Deum et Patrem haec est: visitare pupillos et viduas in tribulatione eorum, et immaculatum se custodire ab hoc saeculo* (5); mihi summopere de vobis laetandum est, qui per opera charitatis fidem vestram omnibus apertissime patefacitis.

(1) Exod. c. XV. v. 1.
(2) S. Ambr. Exhort. ad Virg.
(3) II. Cor. c. VII. v. 4.
(4) Matth. c. X. v. 42.
(5) Jacob. c. I. v. 27.

Sed meipsum vobis speciali modo commendo, Amplissimi Magistratus, qui pro vario officiorum genere, Dei et Caesaris nomine Forojuliensem provinciam sapienter administratis. Vos itaque enixe deprecor, ut mihi ad sancta ecclesiae jura tutanda auxilium feratis: vestrum enim est in id totis incumbere viribus, ut Dei ipsiusque sponsae praecepta serventur, ut dies festi summa religione colantur, ut sacris locis personisque debitus honor reddatur, ut scandala publica, quae animas fidelium pervertunt, de medio tollantur, ut justa afficiantur poena qui diris et execrationibus Deum lacessunt, atque ad iram provocant, ut, uno verbo, Catholicam Religionem, in qua gratia Dei nati ac enutriti fuistis, summo in amore summoque in pretio habeatis. Quopropter necesse est, ut, junctis dextris, Religionem ab oppugnatorum sive armis sive insidiis tueamur: id enim peragentes, et ipsam societatem, quam pessimi hominum funditus evertere conantur, sartam incolumemque servabimus: quippe cum nulla societas sine Religione consistere possit, qui hujus bono consulit, et illi quam maximum praebet adjumentum. Et re quidem vera Religio firmat imperia: siquidem verba illa divinae Sapientiae omnibus inculcat: *Per me reges regnant, et legum conditores justa decernunt* (1); ac propterea universos edocet, a Deo potestatem venire, ipsique parendum *non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam* (2). Quo fit ut principes favere debeant Religioni, ipsamque tutari, si velint imperii incolumitati consulere: nusquam enim perduellionis crimina existerent, si homines vere essent religiosi. Cujus rei vos testes appello, fortissimi viri, qui multum pro Imperatore vestro sanguinem effudistis; Teque, invictissime Dux, omnibus laudibus efferende, qui per multas victorias caesis vel profligatis hostibus undequaque, pacem non meliori ratione, quam clementiae pietatisque christianae operibus, idest, summo Religionis studio atque amore firmandam esse statuisti. Summo et ad ipsum Imperatorem ac Regem nostrum provocare possem, qui pro avita pietate nihil antiquius habet, quam ut consensionem

(1) Prov. c. VIII. v. 15.
(2) Rom. c. XIII. v. 5.

Imperii cum ecclesia apprime promoveat Cujus quidem consensionis uberrimos fructus quis valeat enumerare. Illud autem certissimum est, nullo modo Principum jussis obtemperaturos, qui Deo obedire detrectant. Me interim fortunatum, cui Virum pietate insignem, Religione conspicuum, prudentia atque sapientia illustrem, Utinensi provinciae Praeefectum, ipsumquo Caesarem, propius referentem invenire licebit! Profecto omnia mihi bona, omnia mihi fausta tanti viri patrocinio sunt expectanda.

Vos etiam deprecor, o vos, quibus amplissimi nostri Municipii cura concredita est; vosque qui sanguinis nobilitate, vel opibus, vel ingenii praestantia valetis, ut egregie factis, eleemosynis, sanctisque sive verbis, sive doctrinis in aliorum subsidium veniatis, ut omnibus virtutum cunctarum exempla monstretis, cum soleant homines in eos, qui sibi praesunt, oculos convertere, atque ad ipsorum normam proprios componere mores.

Omnes denique, o filii, cujusque aetatis, sexus ac conditionis enixe obsecro, ut *justificati ex fide, pacem habeatis ad Deum per Dominum nostrum Iesum Christum* [1]: *haec enim est victoria, quae vincit mundum fides nostra* [2]; ac propterea ab eorum insidiis cavete, qui miserrimis hisce temporibus vos a fide avertere conantur, illud Apostoli semper ob oculos habentes: *Si quis vobis evangelizaverit praeter id, quod accepistis, anathema sit* [3]. *De cetero, fratres* (dicam vobis cum Paulo), *gaudete, perfecti estote, exhortamini, idem sapite, pacem habete, et Deus pacis et dilectionis erit vobiscum* [4]. Quae omnia ut assequi valeatis, indesinenter orate, ut *Deus spei repleat vos omni gaudio et pace in credendo, ut abundetis in spe, et virtute Spiritus Sancti* [5]. Orate imprimis pro Pontifice Maximo PIO IX, qui ineffabili humanitate nobis nostraeque Dioecesi peculia-

(1) Rom. c. V. v. 1.
(2) I. Joh. c. V. v. 4.
(3) Gal. c. I. v. 9.
(4) II. Cor. c. XIII. v. 11.
(5) Rom. c. XV. v. 13.

ria amoris pignora concessit: orate, ut Deus ille, qui ipsum in summo discrimine constitutum e manibus perditissimorum hominum miro prorsus modo eripuit, atque inter frementium tempestatum procellas in manu forti et brachio extento incolumem advexit, sospitem reddat, eique vires elargiatur ad gubernaculum navis illius tractandum, contra quam frustra luctantes debacchantur venti, *et non tradat eum in animam inimicorum ejus* (1). Orate pro Augustissimo Imperatore ac Rege nostro FRANCISCO IOSEPHO I. qui in tenera adhuc aetate summae sapientiae praeclara exserit documenta, atque ut subditorum sibi animos devinciat, bonitate, beneficientia et amore illos prosequitur, nihil magis optans, quam ut in ipsorum cordibus regnet. Orate ut Deus Optimus Maximus illum perpetuo sospitet, atque gratiarum omnium abundantia repleat ad Religionis incrementum et societatis tutamen, efficiatque, ut subditos inter et Regem sit cor unum et anima una. Orate pro universa Augustissimi Imperatoris familia, quae avita pietate Catholicaeque Religionis amore adeo praestat, ut solis instar fulgidissimum undequaque splendorem effundat. Orate pro egregio illo Duce, qui annorum pariter et gloriae plenus Caesaris nomine Longobardici atque Veneti hujusce Regni sortes tanta administrat clementia, ut vel rebellium animos ad se converterit, qui ipsius tum in armis praestantiam, cum in victis erigendis humanitatem summopere admirantur. Orate *pro omnibus, qui in sublimitate sunt.... hoc enim bonum est et acceptum coram Salvatore nostro Deo* (2). Orate denique pro meipso *ut Deus, Domini nostri Jesu Christi Pater gloriae, det* mihi *spiritum sapientiae et revelationis in agnitione ejus* (3); utque valeam salutare Dei iis annunciare, quos ut redimeret profudit Christus vitam suam.

Tuum modo patrocinium vehementer efflagito, o dulcissima mater, o spes mea suavissima, o immaculata Virgo Maria. Adsis o mihi tantum onus suscipienti, et votis meis clemens adspira! tu me

(1) Ecclesia.

(2) I. Tim. c. II. v. 2. et seq.

(3) Eph. c. I. v. 17.

trepidantem erige, deque meis viribus nihil confidentem tuo sustine fortissimo auxilio, et quae, ut canit Ecclesia, *cunctas haereses sola interemisti in universo mundo* (1), fac ut tuo adjutus praesidio mala vitiorum germina radicitus evellere, et virtutum omnium semina in vinea Domini nostri Jesu Christi conserere valeam. Vosque, incliti Christi Martyres, Hermagora et Fortunate, qui Aquilejensem Ecclesiam verbo fundastis et sanguine confirmastis, Vos, qui Utinensis Civitatis atque Dioeceseos illustres patroni estis, adeunti mihi favete et opem coelestem exposcite.

Hisce roboratus praesidiis ad vos cito veniam, o Filii in Christo charissimi, atque interim tota animi effusione pastoralem vobis impertior benedictionem *in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, ut gratia Domini nostri Jesu Christi et charitas Dei et communicatio Sancti Spiritus sit cum omnibus vobis. Amen* (2).

Dabam Romae extra portam Flaminiam XVII. Kal. Febr. ipsa die consecrationis meae. An. MDCCCLIII.

(1) In offic. B. M. V.
(2) II. Cor. c. XIII. v. 13.

---

IMPRIMATUR
Fr. Dom. Buttaoni O. P. S. P. A. Mag.
IMPRIMATUR
F. A. Ligi Archiep. Icon. Vicesg.